

# INCIPIT HABACUC PROPHEA



# Contents



# INCIPIIT HABACUC PROPHETA

1 Onus quod vidit Habacuc propheta. <sup>2</sup> [Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, et non salvabis? <sup>3</sup> Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me? Et factum est iudicium, et contradictio potentior. <sup>4</sup> Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem iudicium; quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur iudicium perversum. <sup>5</sup> Aspicite in gentibus, et videte; admiramini, et obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. <sup>6</sup> Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. <sup>7</sup> Horribilis et terribilis est: ex semetipsa iudicium et onus ejus egredietur. <sup>8</sup> Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis: et diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longe venient; volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. <sup>9</sup> Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens; et congregabit quasi arenam captivitatem. <sup>10</sup> Et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt; ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. <sup>11</sup> Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet: hæc est fortitudo ejus dei sui.] <sup>12</sup> [Numquid non tu a principio, Domine, Deus meus, sancte meus, et non moriemur? Domine, in iudicium posuisti eum, et fortem, ut corripere, fundasti eum. <sup>13</sup> Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiore se? <sup>14</sup> Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. <sup>15</sup> Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur, et exsultabit. <sup>16</sup> Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. <sup>17</sup> Propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non parcat.]

2 [Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem: et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.] <sup>2</sup> Et respondit mihi Dominus, et dixit: [Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. <sup>3</sup> Quia adhuc visus procul; et apparebit in finem, et non mentietur: si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. <sup>4</sup> Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso; justus autem in fide sua vivet. <sup>5</sup> Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur: qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur: et congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos. <sup>6</sup> Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus, et dicetur: Væ ei qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum? <sup>7</sup> Numquid non repente consurgent qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? <sup>8</sup> Quia tu spoliasti gentes

multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ, civitatis, et omnium habitantium in ea. <sup>9</sup> Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali ! <sup>10</sup> Cogitasti confusionem domui tuæ; concidisti populos multos, et peccavit anima tua. <sup>11</sup> Quia lapis de pariete clamabit, et lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit. <sup>12</sup> Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate ! <sup>13</sup> Numquid non hæc sunt a Domino exercituum? laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient. <sup>14</sup> Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. <sup>15</sup> Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus ! <sup>16</sup> Repletus es ignominia pro gloria; bibe tu quoque, et consopire. Circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominia super gloriam tuam. <sup>17</sup> Quia iniquitas Libani operiet te, et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, et iniquitate terræ, et civitatis, et omnium habitantium in ea. <sup>18</sup> Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta. <sup>19</sup> Væ qui dicit ligno: Expergiscere; Surge, lapidi tacenti ! Numquid ipse docere poterit? ecce iste coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus. <sup>20</sup> Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra !]

3Oratio Habacuc prophetæ, pro ignorantibus. <sup>2</sup> [Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud; in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. <sup>3</sup> Deus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan: operuit cælos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. <sup>4</sup> Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus. <sup>5</sup> Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus. <sup>6</sup> Stetit, et mensus est terram; aspexit, et dissolvit gentes, et contriti sunt montes sæculi: incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. <sup>7</sup> Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ; turbabuntur pelles terræ Madian. <sup>8</sup> Numquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. <sup>9</sup> Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es; fluvios scindes terræ. <sup>10</sup> Viderunt te, et doluerunt montes; gurges aquarum transiit: dedit abyssus vocem suam; altitudo manus suas levavit. <sup>11</sup> Sol et luna steterunt in habitaculo suo: in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. <sup>12</sup> In fremitu conculcabis terram; in furore obstupefacies gentes. <sup>13</sup> Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum christo tuo: percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum. <sup>14</sup> Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me: exsultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. <sup>15</sup> Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. <sup>16</sup> Audivi, et conturbatus est venter meus; a voce contremuerunt labia mea.